

enim Canonici faciunt Capitulum & unum corpus cum Episcopo.

V. Decanus tamen, licet præbenda canonicali careat, nec speciem canonicatum obtineat; quia caput est canonicorum eorumque curam gerere debet Capitulo intervenire eique præsidere consuevit, nisi forsitan de rebus temporalibus seu præbendis, in quibus ipse non participat, tractetur. Ita iudicatum pro Decano non præbendato Ecclesiæ Cathedralis Amiensis in Parlamento Parisiensi 28. Julii 1672. uti refertur in Libro cui titulus, *Journal du Palais Tom. 2.*

VI. Quinimò si dignitatem quis obtineat unà cum Canonicatu, si jus commune spectemus, duplici suffragio in capitulo non gaudet, illudque prætendens; vel consuetudine aliòve particulari titulo munitum se esse ostendere debet. Panormitanus ad c. 12. de sent. & re iud. & Cujacius ibid.

VII. Uterius, quamvis Canonici per solam Canonicatus affectationem & captam possessionem quaerita sint omnia iura Canonicalia, dicanturque esse de Capitulo, tamen etiam nullo Sacro Ordine sint insigniti, nihilominus in actibus Capitularibus suffragium non habent, nisi ut minus ordinem habeant Subdiaconatus, etiam si hoc illis ab aliis esset concessum. *Clement. U. de atate & qualitat. & ordine præfic.* innovata per Synodum Tridentinam *Sess. 22. c. 4. de reform.* ut nimirum hoc pacto, "Qui Divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis, Sæcularibus, vel Regularibus Ecclesiis sunt mancipati officiis, ad suscipiendos Sacros Ordines non propensius inducantur," ait dicta Clementina.

Ita quippe comparatum est, pro dolor! ut canonici, qui nihil ex Sacerdotio lucri temporalis expectant, nihilque mundani honoris accedere sibi autumant; sed libertatem sibi per susceptionem S. Ordinis potius adimi, ad Sacrorum Ordinum susceptionem quodammodo cogi debeant: Capellani verò, & viliores clerici ad Sacerdotium tantquam artem de pane lucrando currant & festinent: quòd jam pridem altè deploravit & graphicè expressit Philippus Abbas Bonæ Speis. Bernardo coævus *De dign. Cler. c. 15. §. 16.*

Procedit autem hæc juris dispositio non tantum in voce decisiva, sed etiam consultiva, aded ut neque assistentiam, neque sedem in Capitulo habere possit Canonicus, qui Ordine saltem Subdiaconatus non est initiatus; quemadmodum declarasse S. Congregationem refert *Garcias De Benef. p. 3. c. 4. n. 25.*

VIII. Hæc tamen non procedunt in his, quæ à Canoniciis fiunt non capitulariter, sive extra Capitulum. Ita in Ecclesiis, ubi collatio spectat ad Canonicum hebdomadarium sive turnarium, Canonicum in Sacris non constitutum suam habere hebdomadam sæpius iudicatum fuisse refert *Garcias loco citato n. 29.*

Verùm si bene attendatur, dum Canonico Turnario Sacro Ordine non insignito datur jus præsentandi, atque ad ejus præsentationem Capitulum præsentatum instituere debet, in effectu datur simili Canonico jus concurrendi ad unum de præcipuis actibus Capitularibus, qui est nominatio ad Beneficia, atque hac de causa Advocatus Regis conclusit, non esse dandum jus Turnarii cuidam canonico Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis Sacris non initiato, non obstante Statuto & consuetudine trium seculorum ejusdem Ecclesiæ: sustinens statutum illud ac consuetudinem esse merum abusum tendentem in fraudem juris excludentis similes canonicos ab actibus capitularibus. Et ita iudicavit Senatus Roromagensis, atque instante Procuratore Regio unà inhibuit omnibus Capitulis sui Districtus conferre quòcumque Beneficium ad præsentationem canonicorum Sacris Ordinibus non initiatorum, eamque suam Ordinationem per modum Regulamenti publicari præcepit. Vide *Journal du Palais tom. 3.*

IX. In his capitularibus conventibus tractandum de iis omnibus quæ Statum & Administrationem Ecclesiæ, quæque ipsum canonicorum officium concernunt; ac in pri-

mis & ante omnia, ipsam disciplinam, vivendique rationem morumque reformationem spectantia.

Et quidem Regula Canonicorum in Synodo Aquifranensi exarata c. 123. præcipit, "Ut Canonici quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem & aliarum sanctarum Scripturarum lectiones perlegant, & pro admittis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admitti suscipiant: ubi etiam de communi profectu & utilitate Ecclesiæ pertractent."

X. Scio quidem cum vita communi hanc sanctissimam disciplinam in plerisque Canonicorum Ecclesiis exolevisse; at in ejus locum successerunt conventus, quos *Capitula disciplina* vocant.

Synodus Colon. anno 1536. p. 3. c. 14. quæ in his potissimum tractanda sunt exponens, "Capitula, inquit, disciplina quæ vocant, multò majori diligentia observentur, atque hæc tenent. Id ita fiet, si non tam profanæ quàm res sacræ in his tractentur: si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum, & quòd olim sancti Patres fecisse dignoscuntur, ex temporali oratione interdum commonentur Fratres, & in primis ad Sacras Litteras capescendas instigentur, atque ut in his optimas horas colant, locent incitentur, quòd hic reperitur fons vitæ scaturiens, ex quo qui haurit non sitit in æternum; hic thesaurus Evangelicus, propter quem oportet vendere universa, reconditus sit, ex quo prudens ille Paterfamilias profert nova & vetera."

Indubie admodum esset optandum, ut in omnibus canonicorum Ecclesiis hæc specialia disciplina Capitula frequenter ac serio instituerentur; vel si hæc specialia Capitula non habeantur, ipsæ ordinariæ capitulares congregationes ita instituantur, ut non planè temporalibus negotiis occupentur aded ut nihil morum ac disciplinae Divini Officii rectæ institutioni, aut reformationi impendatur; neque cura tantum habeatur de minimis, neglectis majoribus.

Aliud sanè ipsum canonicorum officium exigit, & Decreta Synodorum clamant.

XI. Canonici (inquit Synodus Bituricensis an 1564. tit. 3. c. 9.) convenientes ad capitula, primum tractent de celebratione Divini Officii, & quòcumque defectus delinquentium corrigant, tum de temporalibus negotiis stantur.

Et Synodus Tolosana an. 1590. p. 1. c. 2. §. 7. ait: "In comitiis fodalitiis & capitulo de iis primam quæ ad Divinum cultum spectant, tum de iis quæ ad Ecclesiæ cultum, & ad pietatem promovendam spectant, de bonorum Ecclesiasticorum administratione tractantur."

Consonat & concilium Avenionense anno 1594. tit. 33. ita decernens: "In capitulo clamorosas & contentiosas confabulationes evitabunt, & de iis quæ ad Ecclesiæ cultum, & ad pietatem promovendam spectant, de bonorum Ecclesiasticorum administratione tractantur."

Volunt ergò concilia, ut ea, quæ mores, divinum officium, ac Ecclesiæ cultum spectant, præcipuum ac primum locum in capitulis obtineant. Et merito, cum nihil justius ac rationalius sit, quàm negotia majoris ponderis & momenti præferri negotiis minoris momenti. Ac sanè timendum ne Canonici qui aded solliciti sunt de rebus temporalibus, ut nihil in eorum Conventibus penè nisi de illis audiat aut tractetur, sint non tantum nomine, sed re ipsa Canonici seculares; vereque dici queat de ipsis, quòd de quibusdam Prælati sui temporis dixit Bernardus: *Lib. 4. De consil. ad Eugen. Papam c. 6.* "Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerunt."

XII. Negotia in Capitulis proposita solent ordinariè ex pluralitate suffragiorum concludi; quòdque major pars Capituli resolvit, ipsum Capitulum resolvisse censetur.

Porrò

Porrò quia non raro contingit, hoc præsertim tempore quando adeo relaxata, & ab omni penè disciplina exempta est Canonicorum vita, ut plures Canonicorum vel nullam verè disciplinæ notitiam habeant, aut etiam eam oderint, unice vivendi libertatem affectantes, & lucro temporali inhiantes: quidni hinc natum est contingere, ut inter resolutiones, vel etiam ordinationes Capitulares bonis vel reclamantibus, vel subinde pacis causa, aut ad majus malum evitandum, dissimulantibus, reperiantur non paucæ, quæ Canonice disciplinæ adversantur; magisque quaestum aut turpe lucrum; imò subinde Simoniam sapiunt, quàm pietatem, aut spiritualem profectum; qua de re audire lubet, quæ per experientiam reperiant, & referunt Patres Synodi Colonienensis anno 1536. *parte 3. cap. 19.* "Habent, inquit, sepe quot sunt Cathedralis aut Collegiales Ecclesiæ, suum volumen peculiarium statutorum, quæ interdum pro affectu privato eujuslibet augmentat aut crescunt. Inter hæc reperias quàm plura quæ quaestum magis quàm pietatem respiciant, & ad iniquitatem magis quam pietatem faciant: unde discordia inter fratres (ut fieri solet) frequenter alitur, concordia verò scinditur laceraturque. Et quantumvis plerumque inter hæc iniqua reperiantur, ad id tamen omnes qui verè admittuntur, ut ad ejusmodi statutorum observationem (etiam penitus ignari quid contineant illa) citra ullum delectum jurjurando se alligent, cum tamen juramentum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorantiam extendi. Operæ pretium itaque nobis videtur, hujusmodi statutorum volumina inter visitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati atque fraternæ charitati, demique disciplinæ Ecclesiasticæ minus consentanea reperta fuerint, rescicere, cavereque ne posthac ulla nova statuta in ejusmodi Ecclesiis (nisi tamen noster accesserit calculus) edantur."

Idem supposuit Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 14. De reform.* deplorans, quòd in pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex præva consuetudine, in electione, præsentatione, sive admissione ad possessionem alicujus Beneficii, vel Canonicatum certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, compensationesque illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur tumorum lucra, interponantur. Quæ omnia detestans S. Synodus, "Mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniaci labis, aut sordide avaritia suspitionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum Constitutionibus live consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquis ut pravas ac scandalosas rejiciant & abolèant." Et eos, qui adversus prædicta quavis ratione commiserint, prævis Simoniacorum tum subiacere decernit, "non obstantibus (inquit Synodus) quibuscumque statutis, constitutionibus, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis: de quarum subreptione, obreptione & intentionis defectu Episcopus tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus cognoscere possit."

Ex his quis non videat, per Synodum Tridentinam supponi, in Statutis & Constitutionibus, etiam Cathedralium Ecclesiarum (tamen per Sedem Apostolicam confirmatis) posse reperiri aliqua, quæ Synodus tamquam de Simoniaci pravitate suspecta detestatur.

Hinc quisque dicat non cæco modo in Statuta & Ordinationes Capitularum esse jurandum, sed ea prius merito examinari & expendi debere: eosque multum hallucinari, qui sibi licitum credunt, quidquid in Statutis Capituli probatum invenitur; tamen etiam Sedis Apostolicæ confirmatio accesserit.

XIV. In plerisque Ecclesiis certi dies vel per mensem, vel etiam per hebdomadam solent esse designati, quibus statà hora Capitulum conveniat, soletque dici *ordinarium*.

Sed quia nonnumquam repentina negotia, quæ dilatio-

nem non patiuntur, congregationem Capituli requirunt, in potestate Decani alteriusve, cui jus convocandi Capitulum, ex consuetudine aliòve titulo competit, est, quocumque die & tempore Capitulum indicere.

XV. Illud tamen observet, ut, nisi necessitas urgeat tempore divinorum officiorum Capitula non habeantur Canonici, inquit S. Carolus in concilio Mediol. *1. parte. 2. cap. 8.* quo tempore divina officia celebrantur, non habeantur Capitula, nisi fortassis aliter evidens necessitas postulerit: qui contra fecerint, distributionem ne capiant ejus horæ, in qua id commiserint.

Et Synodus Cameracensis P. II. *tit. 18. cap. 17.* Canonico- rum congregationes pro Ecclesiæ suarum negotiis, quæ capitula dici solent, hora competentis fiant, nec summatim Mille tempore ullo modo habeantur, nisi necessaria aliqua causa superveniat quæ differri non possit, quo casu ut minimum mittantur aliqui Canonici in eorum, Et Mechl. P. II. *tit. 12. cap. 11.*

XVI. Idem responsum à Sacra congregatione refert *Garcias De Beneficis parte 3. cap. 2. n. 559.* qui ipse, cum esset Canonicus Abulensis, atque in ea Ecclesia, sæpè fierent Capitula, & haberentur congregationes Capitulares tempore divinorum Officiorum, & dum horæ, etiam Missæ major celebrarentur, juxta statuta & antiquam consuetudinem in Hispania hæc tenentur observata: hæc essent in hac Ecclesia ordinatio Capitularis, quòd Canonici qui fuerint in Ecclesia, & non intraverint Capitulum mulctentur certà pœnà, etiam si sit in choro in divinis Officiis; his, inquam, sic se habentibus petiit ipse *Garcias*, declarari, an nihilominus Canonicus seu capitularis possit licet à capitulis abesse, stando in choro nec propterea possit mulctari? Secundò, an possit, etiam si venit, interesse Capitulis, quæ sunt tempore divinorum Officiorum, supposito quòd sunt, & satisfaciat suæ obligationi & faciat fructus suos, qui in illa Hora lucrifunt... congregatio Concilii ad primum respondit: congregationes hujusmodi capitulares habendas non esse eo tempore quo divina officia celebrantur, nisi causa aliqua urgens eas ad aliud tempus non pateretur differri, quod si hæc congregationes absque causa prædicta tempore celebrationis divinorum habita fuerint, Canonicum jure ab his, ut choro interfuit posse abesse, nec propterea esse mulctandum. Ad secundum non posse, juxta responsum ad primum. Quam declarationem, ait *Garcias*, authenticam habeo.

XVII. Inferitur autem ex dictis, uti notat ibidem *Garcias*, non licere etiam fieri congregationes particulares Communiarum Capituli, nec occupari Beneficiatos in negotiis & rebus Ecclesiæ (quæ aliàs commode fieri possunt) dum divina officia celebrantur, quamvis oporteret alias eis constituere aliquod stipendium seu salarium.

Inferitur etiam non licere facere rationes & computus bonorum, & reddituum mensæ, vel Fabricæ, dum divina fiunt; & ita respondit S. Congregatio apud *Garciam* loco citato num. 568. his verbis: "congregatio concilii censuit, neque Episcopus neque Capitulum debere exigere rationum redditionem tempore quo recitantur Horæ Canonice, & divina celebrantur."

## CAPUT VI.

Canonici Divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum publicè persolvere tenentur.

1. Præcipuum officium Canonicorum est persolutio Divini Officii.
2. Unde hæc obligatio Canonicorum.
3. Omnibus Horis etiam minoribus interesse debent.
4. Debent per se Divinum Officium persolvere.
5. Contrarium statutum non valet.

6 Nov

6 Non improbandus Vicariorum usus.

7 Quod Vicariorum officium.

8 Quid in his assumendis praequae attendendum.

I. Solemnem divini Officii per solutionem unam esse præcipuis Canonicorum obligationibus nemo dubitat. Quapropter maxima pars Regulae Canonicorum à Synodo Aquigranensi conscripta, circa modum ac normam persolvendi Horas Canonicas versatur; ac *cap. 13. 1.* monentur Canonici, „Ut studeant summopere Horas Canonicas vigilantissima cura custodire, & in his divinum Officium humiliter ac devotè persolvere. Mox enim, „ait Synodus, ut auditum fuerit signum, festinatò omnes „ad Ecclesiam conveniant, quam non pompacè, aut inhonestè, vel incompositè sed cum reverentia & Dei timore „ingrediantur.

Hinc in Conciliis, etiam post commutatam vitam communem Canonicorum in singularem, nihil tantopere Canonicis inculcatum, quàm *Ut in Choro ad psallendum instructo, hymnis & canticis Dei nomen reverenter* (verba sunt Synodi Trid. *sess. 24. cap. 12. De ref. distinctè, devotèque laudent.* Ideoque non immeritò seculo 11. ad quemdam Canonicum scripsit S. Ivo Carnotensis: „Ad hoc instituta „est Clericalis militia, ut psalmodiæ & hymnodicæ quoad „num offerat Deo sacrificium.

II. Unde hæc Canonicorum obligatio profuat, sat indicat ipsa Canonicorum Regula monens Canonicos, „Ut laudes Deo in communi persolventes, pro suis „pulporumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Deum „exorent.

Quibus non obscure innuit, ideo Canonicis factas oblationes fundatasque eorum Ecclesias, ut ipsi pro populo ac Fundatoribus Deum incessanter orarent & laudarent: „Nam, inquit Justinianus Imperator, qui constituerunt vel „fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, ut per eos „debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut illis à ministrantibus piis „Clericis Deus colatur.

Quàm hæc vera sint, propius intelligent Canonici, si fundationum dotationumque suarum monumenta, non tantum ad conservationem temporalium, ut fieri solet, sed ad intelligendam suam obligationem, sedulo ac diligenter pervolvant.

III. Porro cum Officium Divinum juxta normam à multis sæculis receptam constet septem partibus, nimirum Matutino, sub quo & *Laudes* comprehenduntur, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis & Completorio illæque simul sumptæ integrum Officium Divinum diurnum ac nocturnum constituent, consequens est, Canonicos non tantum uni alterive aut etiam majoribus Horis debere interesse, sed omnibus: quia obligatio Canonicorum est non partem dumtaxat Divini Officii persolvere, sed integrum; unde de canonicis aliisque Clericis choro adstrictis pronuntiat concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. quod teneantur *Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis dederit Deus, studiosè celebrare.*

IV. Porro si Canonialis muneris & obligationis sit, Officium Divinum publicè & solemniter persolvere, evidenter consequitur, Canonicos ad eam per solutionem *personaliter* obligari; cum ipsa ratio dicat & clamet, unumquemque teneri ad ea, quæ ex suo instituto seu professione sibi incumbunt & injuncta sunt.

Quapropter de Canonicis tam cathedralibus quàm collegiatis loquens Synodus Trid. *sess. 24. c. 12. De ref.* ait: *Omnes vero per se, & non per substitutos compellantur obire Officia.*

Hinc Concilii Tridentini Decreto consonat Synodus Cameracensis P. I. *tit. 6. c. 7.* decernens: „In choro cum psallitur, canonici omnes qui in choro fuerint & Sacellani „psallant, nec sint in sedibus suis otiosi, nec putent se functos „Officio, si vicaria tantum opera cultum Divinum celebra-

ti curent: modo tamen psallere per valetudinem queant, nec aliis impediti justis de causis fuerint.

Et Synodus Mechl. P. II. *tit. 12. cap. 2.* Meminerint, „ait, omnes tam in dignitate constituti, quàm Canonici, „pellani, Vicarii, Beneficiati, & reliqui habitati mandati „Concilii Trid. ut omnes Divina *per se, & non per substitutos* compellantur obire Officia, atque in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare.

V. Infinita propemodum tum veterum, tum recentiorum Synodorum decreta, tum probatissimorum Authorum testimonia, hæc Canonicorum obligationem *per se* Divina Officia, cessante legitimo impedimento, persolvendi asserentia; contrariumque usum tamquam merum abusum ex desidia & superbia canonicorum ortum reprobantia, allegare possem, nisi id fusè & abunde præfuissem in Dissertatione. De Canonicis *parte 3. cap. 2.* Illud hic addo, referente Nicolao Garcia de Beneficiis *parte 3. cap. 2. numer. 498.* resolutum fuisse conformiter ad jam dicta, à Sacra Congregatione, „si factum sit aliquid statutum, quod Canonici „possint inferire per Substitutum, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus ratio, quia est contra Concilium „Tridentinum.

„Procedit etiam dicta declaratio, ait Garcia, licet ante „Concilium esset statutum, vel consuetudo etiam immemorialis in contrarium ut colligitur ex ipso Concilio.

VI. Quia tamen nonnumquam contingit, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus ut Canonici aliis negotiis Ecclesiæ distracti, officia *per se* congruenter persolvere nequeant nullatenus improbandum, ut aliquos vicarios assumant qui Canonicorum legitima ex causa absentium vices suppleant, & in persolvendis Divinis laudibus Canonicis adiutores accedant.

VII. Hunc esse Vicariorum finem indicat Synodus Colonienfis anno 1536. *parte 3. cap. 6.* monens Vicarios, „Ut „attendant quod Canonicis adiutores accedant: horum „nimirum vice qui vel adversa valetudine detenti vel negotiis „necessariis advocati interesse non possunt.

„Ita Vicarii opera inquit Synodus Audomarenfis 1583. *tit. 12. cap. 6.* Officium peragatur ut nihilominus ipsi „quorum proprium est illud agere, qui dignitatem; Canonicatum aut quodvis aliud beneficium vel officium in Ecclesia obtinent, nisi legitime impediatur, per se ipsos, & non „per alios dumtaxat illud faciant.

VIII. Porro in assumendis hæc vicariis meritiò attendent Canonici, num mores ac vita officio ab eis obeundo respondereant; ne alias cantando non Deum laudent, sed offendant.

Quare Patres Concilii Cameracensis P. I. *tit. 1. cap. 14.* monent, „Ut in Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegiatis non constituantur Vicarii, qui Canonicas, quas vocant, „horas in choro canant, nisi aut Sacerdotes aut in Sacris „Ordinibus constituti, aut saltem Lectores ordinati; atque „hi, quantum fieri potest, sint cælibes quorum mores vitæ „que probata fuerint, nec permittantur in choro psallere, nisi „vestitu & habitu corporis, ministros se esse Dei & Ecclesiæ „demonstrent. „Plura videri possunt in citata Dissertatione de Canonicis *parte 3. cap. 2. §. 5.*

## CAPUT VII.

### De Distributionibus quotidianis.

- 1 Quid Distributiones.
- 2 Quæ institutionis ratio.
- 3 Omnibus Horis etiam minoribus assignanda.
- 4 Integris Horis interesse debent qui eas lucentur.

I. Distributiones propriè dicuntur *quotidiana*, ait Stephanus Weymius ad Constit. 1. per Concilium „Trid

## Tit. 7. De Canon. Collegiat. & Cathed. Eccl. &c. Cap. VIII. 47

Tridentinum innovata n. 7. „Quando singulis diebus, „vel etiam singulis horis distribuuntur, in pecunia, victu, „potu vel alia specie, his tantum qui personaliter præsentia sunt in Officiis divinis; quod moribus hodiernis passim fit per ploabrum vel tesseraum.

II. Quis sit hæc distributio scopus, jam pridem ad Panchalem Papam scribens S. Ivo Carnotensis expressit: „Cum in pluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigilantes, de tardis „alios ad frequentandas Horas Canonicas, deliberavi „apud me, ut darem iis dimidiam Præposituram, ut inde „fieret *quotidianus panis* quem acciperent ad fidem, amitterent tardis; ut ad quas eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporis refectio provocaret; quamvis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.

Unde & Synodus Colonienfis anno 1536. *p. 3. c. 10.* Animadvertens Canonicorum in frequentandis divinis Officiis neglectum, „Facile, ait, castigabitur hic lapsus, si negligentibus subtraheretur proventus seu distributio „multentur.

Et ipsa Synodus Tridentina Distributiones probans, easque, ubi desierant, reduci desiderans, ac ob id præcipiens, „tertium fructuum, quorumcumque proventus & obventionum, tam Dignitatum, quàm Canonicatum, Perfonatum, portionum, & officiorum, separari debere, & „in distributiones *quotidianas* converti; hæc suæ præceptionis rationem præmisit: „nam beneficia ad divinum „cultum, atque Ecclesiasticam muniam obsunda sunt constituta, „ne qua in parte diminuaturs divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur, statuit, &c.

III. Si ergo quotidianæ Distributiones eo fine institutæ, & ab Ecclesia probatæ sint, ut Canonicorum aliorumque Clericorum in frequentandis Horis Canonicis negligentia puniatur, & mulctetur; ne qua in parte, ut loquitur Synodus Tridentina, *diminuaturs divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur*, quis hinc consequi non videt, eas non aliquibus dumtaxat, sed omnibus Horis, id est, integro Officio Divino esse assignandas; ut hoc pacto fiat, ne qua in parte cultus divinus diminuaturs seu negligatur; nec Canonici suæ impune desint obligationi.

De hac Synodi Tridentinæ sententia non dubitans S. Carolus in Synodo Mediolanensi IV. *parte 2. c. 13.* statuit; „Ut etiam in Ecclesiis vel Cathedralibus vel Collegiatis,

„quamvis reliquis Divinis Officiis congruis quotidianarum distributionum census assignatus sit, aliquibus tamen *Canonice horis* aut cæteris officiis, etiam extraordinariis, quavis auctoritate institutis, nulla quotidianæ distributiones adscriptæ attributæve sint, aut si attributæ sint, exiguæ illæ quidem, atque usque adeo tenues, ut verisimiliter negligantur; in iis Episcopus vel de communi residentia, distributionumque quotidianarum census, si amplius sit, certam portionem arbitrio suo congruam, Capituli ac reliquorum qui ejusdem census participes sunt, consensu detrahat, eamque ipsam statam uniuscuique ex illis Canonicis Horis officii attribuat, ad scribarve perpetuo, vel omnino ipse auctoritate & facultate sibi ab eodem Tridentino Concilio data, quemadmodum etiam à sancta Sede Apostolica declaratum est.

Quod hic asseritur à S. Sede Apostolica declaratum esse ei conforme est quod refert Garcia de Beneficiis *parte 3. c. 2. n. 489.* censuisse S. Congregationem, „distributiones „quotidianas, quæ acceptæ fuerunt ex tertia parte fructuum dignitatum alicujus Ecclesiæ assignari debere non duabus Horis tantum canonicis, sed etiam *reliquis omnibus aliis*, quibus qui non interfuerint, distributionem amittant.

Conformiter proinde ad mentem Concilii Tridentini Synodus Mechl. P. II. *tit. 2. c. 2.* „ut minores Horæ non negligantur, voluit, pro illis certe distributiones assignentur, aut Minores illæ Horæ Majoribus adjungantur; ita ut

„in Majoribus illis Horis nemo distributionibus gaudeat „nisi qui in Minoribus quoque Horis debite interfuerint.

IV. Ulterius ipse Distributionum quotidianarum scopus, & institutionis ratio sat ostendunt, eas non deberi nisi illi, qui actualiter, integre & completè Horis canonicis assistit. Unde Synodus Basileensis declaravit *sess. 21. c. 4.* Ut „qui in Matutinis ante finem Psalmi, *venite exultemus*, in aliis Horis ante finem *primi Psalmi*, in Missa ante ultimum „*Kyrie-elsion* usque in finem Divino officio non interfuerint, nisi forte necessitate cogente, ac petita ac obtenta à „Præsidente Chori licentia discedere oporteat, pro illa „Hora absens censetur salvis, ait Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc exactiores existunt.

Et Patres Concilii Moguntini anno 1549. *c. 72.* „Animarum periculo obviam, & Ecclesiarum necessitati conformiter volentes, decreverunt & ordinarunt, ne quotidianæ distributiones ad brevissima quadam momenta, putata ad lectionem Epistolæ, seu unius Psalmi aut Responsorii, sed *integris ac totis Officiis & Horis assignantur*, & iis „modo tribuantur, qui Officiis Divinis de quibus hæc volumenta dantur, *ab initio ad finem* interfuerint. „Quibuscumque irrationabilibus, aut pravis consuetudinibus (quæ potius corruptelæ censendæ sunt) non obstantibus.

Eundem abusum Synodi nostræ Belgicæ pariter damnant, & quidem Mechliniensis P. II. *tit. 12. c. 4.* ait: Carcent „distributionibus, qui ante *Gloriam patri primi Psalmi* cuiusque officii usque ad finem eidem officio actualiter non interfuerint.

Synodus verò Diocesana anno 1609. *tit. 11. c. 10.* hoc Concilii Provincialis decretum renovans addit: „iis distributionibus quoque privari volumus, qui in Missis „votivis & anniversariis, quæ ex fundatione sine commendationibus canuntur, ante primam Collectam; „in vigiliis verò ante finem secundi Psalmi Vesperarum „& in commendationibus ante initium Psalmi, *in exitu*, „usque ad finem non interfuerint.

Uno verbo Distributiones ex mente Ecclesiæ ita ordinandæ ac dispensandæ sunt, ne qua in parte cultus divinus minuaturs; sed divinum officium in omnibus suis partibus, tam majoribus quàm minoribus integre & ordinatè ab omnibus persolvatur.

## CAPUT VIII.

Distributiones non sunt institutæ, ut propter eas Divinum Officium frequentetur.

- 1 Multis rationibus improbaturs officium intuitu distributionum frequentare.
- 2 Ratio prima.
- 3 Secunda.
- 4 Tertia.
- 5 De Simonia reddunturs suspecti qui principaliter ob distributiones frequentant.
- 6 Indiciæ quibus cognoscitur num principaliter ob distributiones quis frequentet.

I. Distributiones quotidianas instituit & probavit Ecclesia, ut Clericorum in persolvendis divinis Officiis neglectus aut tepor, earum privatione mulctaretur; ipsiq; hac mulctæ comminatione ad diligentiorē & ferventiorē divini officii per solutionē excitarentur, nequam verò ut Canonici earum lucrandarum causâ ad divinum officium accederent, sive eo principaliter animo divino officio interessent, aut ad illud frequentandum moverentur, ut distributionū illarum lucro gaudere possent.

II. Scit enim Ecclesia, voluntariè sacrificium laudis Deo esse offerendum, juxta illud Psalmistæ à Canonicis